



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

31. Dies Decemb. Transierunt. Sapient. 5.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

III. Post diem, sequitur hora. Cujuslibet horæ exordio, insonet auribus tuis vox illa Paulina : (a) *Hora est, jam nos de somno surgere.* Quia unâ horâ es morti vicinior, & æternitati propinquior : quia fors hæc, (b) *novissima hora est.* Quia fors hæc horâ, audies illud feralè : (c) *redde rationem villicationis tuæ.* Quia fors hæc horâ, (d) *anima tua ibit in domum æternitatis.* Hæc horâ : (e) *quia periclitamur omni hora.* Surge ergò, qui dormis, & exurge toto animo, & sonante horæ præludio, dic cum Juditha, *Confirma me, Domine Deus, & respice in hac hora, ad opera manuum mearum.* Hæc horâ quidquid agam, quidquid pariar, propter te omnia, contrà te nihil. Sit tibi quævis hora, ut prima, & novissima, & eris primus, qui virtute es novissimus. Post omnia vitæ tempora, superest quod est in tempore minimum, Momentum. Non tamen hoc parvi facias : quia, quod in tempore minimum est spatio, maximum est pretio. Et ideò nullum est in vita momentum, quod non sit maximi momenti. Nullum sit momentum, quo non aspiret ad Deum; quia nullum est momentum, quo non præservaris à Deo. Quodvis temporis momentum, gradus est ad sepulchrum :

Quodvis momētum, est nobis gradus ad monumentum.

31. DIES DECEMB.

Transierunt. Sapient. 5.

Vanitas
omnium
rerum.

T Am propè anni exeuntis premimus metam: utinam, sine anni malè exacti luctu, & metu! Et quia tacitis, uti annis senescimus: ita, & passibus ad sepulchrum.

(a) *Rom. 13. 11.* (b) *Joan. 2. 18.* (c) *I. no. 16. 2.* (d) *Eccl. 12. 5.* (e) *I. Cor. 15. 30.*

pulchrum tendimus. Ante hujus anni occasum, & pro ineuntis exordio, suggero, quod in curriculo nostro expendamus argumentum. Hoc porro argumentum, non est verbosior aliqua vel Tullii oratio, vel Aristotelis ratiocinatio, vel Quintiliani declamatio; totum, unius verbi circumscribitur angustiis. Est vox una familiaris omnibus alterius mundi incolis: tam illis, qui gloriantur in cælo; quàm aliis, qui cruciantur in orco. Est vox, quæ non multa, sed multum complectitur. Est vox, quæ diligenter expensa, cogeret hominem uno momento despiciere mundum, & omnia quæ sunt mundi; suspicere Deum, & omnia quæ sunt Dei. Est vox, quæ justos in hoc mundo erigit ad summam spem, excitat ad solidam lætitiã, animat ad inconcussam in omnibus adversis constantiam, sed quæ impios percellit summo timore, incutit maximum horrorem, infert extremum dolorem. Sed quænam tandem est illa vox tanti, ut moveat, roboris; ut peccat, ponderis, ut exhilaret virtutis? Expressa est illa vox inter effata Sapientis; & est illa modo fructuosa nobis morituris, prolatu jucunda, benè; funesta malè morientibus, memoratu familiaris omnibus jam mortuis. Quæ tandem illa? Transierunt. O quàm paucis, quàm multa! Non est nisi unicum verbum; plus tamen habet virtutis ad movendum, quàm omnes omnium Rhetorum Orationes verbosissimæ. Sed parum conducet illud verbum: Transierunt, si quasi per transfennam prætereuntes strictim tantum aspiciamus; necesse est totâ mentis contentione per otium, tanquam summi momenti negotium, expendere.

II. Respice mundi nascentis incunabula; quando

in principio creavit Deus cœlum, & terram, & recensente omnia, usque ad hoc nostrum, quod degimus, sæcula; reperies mundum jam perstitisse ferè ad sex millia annorum: jam verò à tempore Adami, usque ad hunc ipsum annum; quod in hoc mundo homines, velut in theatro histriones agentes fabulam suam, momento uno apparuerunt, momento altero evanuerunt; atque ita in ictu oculi, Transierunt. Ab illis porrò hominibus, quàm multa scripta, dicta, facta, cogitata? Tot fuerunt habitæ in rostris Orationes, tot decantata carmina, tot elucubrata librorum volumina, tot erecta theatra, tam splendida excitata palatia, tam rara exhibita spectacula, tam sumptuosa instructa convivium, tam quæstiosa instituta tripudia, tot inita prælia, tot relatæ victoriæ, tot acti triumphi, tot celebratæ nuptiæ? Hæc omnia, usque in hanc horam, ubi jam? Transierunt. Ubi jam tua infantia? ubi pueritia? ubi adolescentia? ubi juvenitus? ubi omnia, ad hoc usque momentum, acta, & cogitata? Transierunt. O quanto cum gaudio Beati in cœlo! quanto cum luctu, ad perennes pœnas damnati in tartaro pronuntiant illud verbum. Transierunt! Age Petre, ubi tua, quæ passus es in cruce tormenta? ubi nunc Sphephane, tui lapides? tua Laurenti craticula? tuæ Sebastiane, Sagittæ? ubi pœnæ vestræ, ô Christi Pugiles! ubi vestra, ô Anachoretæ, suspiria, lachrymæ, jejunia, vigiliæ, labores, sudores? ubi denique omnia, quæ pro Regno cœlorum pertulistis mala? Transierunt.

III. Et tuæ, ô Heliogabile, deliciæ, ubi nunc? ubi tuæ Sardanapale, voluptates? tua, ô Auguste, potentia: tua, ô Cæsar, trophæa? Denique, ubi vestra,

ô mi-

Ô miseri, gaudia, honor, gloria, fama, regna, & quæ ex
 illis hausistis oblectamenta? Transierunt. Hoc est
 inauspicatissimum illud verbum; quod per totam,
 quæ nunquam transibit, æternitatem, horrifico cum
 ululatu, ex tenebricoso illo vaporario, illi Tartari
 municipes, jugiter vociferando ingeminabant; me-
 mores omnium, quæ instar umbræ, evanuerunt, bo-
 norum, & confixi aculeis præsentium, quæ patiun-
 tur, malorum: *(a) Transierunt omnia illa, tanquam
 umbra.* Quæ illa? Illa, illa, pro quibus expensæ pecu-
 niæ; impensæ, omnes animi & corporis vires, effusus
 sudor, profusus cruor, emissæ lachrymæ, exantlati la-
 bores, adhibiti conatus, exacti tot dies, & noctes, &
 anni. *Transierunt omnia illa*, propter quæ excidimus
 salute; & amisimus illum, in quo sunt bona omnia.
 His, sortem suam nunquam satis deplorandam, de-
 plorant næniis, qui hîc circumfluxerunt deliciis.
 Nunc ergò, si sapias; per omnia, quæ sub luna vol-
 vuntur, mentis aciem studiosè circumfer. Respice
 præterita, Transierunt: circumspice præsentia, Tran-
 seunt; prospice futura, Transibunt. Quid inde ar-
 gues, quàm omnia esse Transitoria? De solo Deo, &
 quæ Deus ab æterno decrevit in æternum, justorum
 præmiis; & reproborum suppliciis, nunquam dice-
 tur; Transierunt. Unum jam relinquitur; ut relictis
 illis, qui te brevi relinquent, se æteris æterna; ne, si
 perituris inhæreas, cum illis pariter & pereas. *(b) Um-
 bra transitus, est tempus nostrum.* Sed à quo, ad quid
 est transitus? Ab utero ad tumulum; à cunabulis ad
 sarcophagum; à fasciis infantilibus ad sindonem se-
 pulchralem; à vita ad mortem, à momento ad æter-
 nitatem. Esse tempus nostrum, umbræ transitum,
 experti

(a) Sap. 5. (b) Sap. 2. 5.

Decemb.

Tessera.

1057

experti sunt Majores nostri; experientur omnes Posterit, & nos cum illis: quia de illis aliquando, de nobis brevi, denique de omnibus semel, ferius, ocyus dicetur, *Transferunt*:

Scietet vita malis: volat & pernicibus alis.

FINIS VENIT,

Venit Finis.

Ezech. 7. 2.

Post omnes vitæ annos, menses, hebdomadas, dies, horas, momenta; sequitur omnium Finis. Finis coronat opus; quia à fine dependet salus: Quia, *qui perseveraverit usque ad finem; hic salvus erit.* Finis vitæ, erit tibi principium pœnæ: nisi jam tua omnia dirigas ad eum; qui est *Principium, & Finis.* Ne in fine corrumpas, hæc duo sæpè cogita: Finis hominis, est pervenire ad regnum; cujus nullus est finis. Et istud: Inter omnia, quæ per anni tempus omne agitas, & quibus exagitaris negotia; Negotiorum omnium maximum est negotium, animæ cum Deo otium. In hoc operoso, & nogotioso otio, per anni, mensis, hebdomadis, diei, horæ, momenti spatia diligenter negotiare; & cogita, post omnia tandem omnibus, *solum superest sepulchrum.* Quot jam in terra censentur capita; tot brevi sub terra jacebunt funera. Quia cui contigit nasci; eidem necesse est & mori. Tunc de omnibus, & illorum vanis operibus, & operum deliciis, & deliciarum usurâ, dicetur illud mœstum hesternæ tesserae acroama: *Transferunt.*

Pars III.

Xxx

Post-